

Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Pars IX. Erga Christum Judicem omnium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

EXERCITIORUM

PARS IX.

Erga Christum Judicem
omnium.

EXERCITIUM I.

*Christus D. Judex, placandus oratione
crebra humili.*

Aet. 10. 42. 1. **C**hristus constitutus est Judex vivorum, & mortuorum: cui omnes Prophetæ testimoniū perhibent.

2. Cor. 5. 10. 2. Oportet ergo te manifestari ante tribunū ejus: ut recipias prout gessisti in corpore sive bona sive malum.

Job. 9. 3. 3. Huc judici DEO, neque tu, neque ullus respondere poterit unum pro mille sibi ab eo objiciendis: neque ullo modo in conspectu ejus & apud Regulam æquitatis ejus, justificandis.

4. Dicit ille quidem Homini: Stemus simul ut judicemur: narra si quid habes, ut justificris: cæterum frustra est cum illo judicio con-

Job. 4. 18. tendere, qui etiam justitias judicat: qui in Angelis etiam reperit pravitatem, coram quo neque

If. 64. 6. stellæ mundæ sunt: Et omnes justitiae nostræ tanquam pannus menstruatæ.

5. Quid ergo faciet homo in peccatis conceptus, & natus, & adultus totus, inveteratusque in suâ iniquitate, in cuius vitâ neque momentum reperias innoxium.

6. Quod

6. Quod fecit Sanctus Job. Cujus illa est confessio: *DEUS* cuius iræ nemo potest residere, *Job. 9. 2.*
E sub quo curvantur qui portant orbem: quantus ergo sum ego; ut respondeam ei, *E* loquar verbis meis cum eo? qui, etiam si habuero aliquid justum, non respondebo, sed meum *Judicem* deprecabor. Et si impius fuero, vñ mihi est: & si justus, non levabo caput, saturatus afflictione, & miseriâ.

7. Hoc faciendum quod fecit & David, cū jusest illa oratio: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me. Domine non intris in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* *Ps. 37. 2.*

8. Hoc factitatum à tantis Sanctis, atque factitandum esse à nobis peccatoribus, mirabitur nemo; quicunque cogitaverit, quòd horren- *Hebr. 10. 3.* dum sit incidere in manus Dei viventis, *E* judicantis: quòd stare ante judicem Deum, eique manifestari, ac reddere rationem omnium, singulorumque virtæ actæ momentorum, usque ad facta, usque ad dicta, usque ad cogitata otiosa, usque etiam ad omissiones bonorum, usque ad imperfectiones rectè factorum, usque ad occasions & inspirationes bene agendorum, nec actorum, sit humanæ virtuti prorsus intolerabile: sed oporteat Divinâ vi roborari naturam infirmam, ne magnitudine fortitudinis extabescat.

9. Vultum certè judicaturi Christi usque adeo Job pertimescebat videre, ut præligeret in inferno potius demergi, neque extra illum comparere, donec judicantis furor Dei pertransiret: tamque demersionem, adeo licet horribilem, protectionem sui censeret.

10. Consueces ergo Anima mea quotidie,
im

Ex. II. Ch
occurret i
fine mun
omni eun
dus est erg
atque occ
§. N
egendum
dignissim
etiam ux
alibus eni
lier, eis re
rum obliv
6. Ide
repetito i
(Joseph)
bus suis,
scite quo
us in Vasi
torem v
DEUS aut
placabilem
Anima m
gar placa
Christum
mortuos, &
7. Ha
tionæ, ux
lum, & ac
atum asp
occurrere
pientissim
selinivit;
lectatus f
ia, dixe

270 Exerc. II. Christus D. Judex placandus muneribus
imò quantum fas est, assiduè, deprecari judicem
tuum: & mitigare furorem vultus ejus, preci-
bus, reverentiâ, timore, humilitate, sedulitate,
obsecrationum, & obtestationum instantia ple-
nissimis.

P R A X I S.

D Omine JESU Christe, Fili Dei vivi: pone Passio-
nem, crucem, mortem tuam, inter judicium
tuum: & Animam meam nunc, & in hora mori-
meæ; & mihi largiri digneris gratiam & misericor-
diæ, vivis & defunctis requiem & veniam: Ec-
clesiae tue pacem & concordiam: nobis peccatoribus
Vitam & gloriam sempiternam. Qui vivis, &
regnas, &c.

EXERCITIUM II.

Christus D. Judex placandus muneribus.

Gen. 10. 42. 1. Christus constitutus est JUDEX vivorum, &
mortuorum: cui omnes Prophetæ testimoni-
um perhibent.

2. Hic cum ad judicandum sive in Vitæ tua,
sive in mundi totius fine advenerit, placandi sui
nullum tempus, nullum spatiū, nullum mo-
dum dabit.

3. Nunc ergo dum hujus tam Vitæ, quam
Mundi tempus decurrit, placandi illius, & con-
silia ineundum, & studium exercendum est.

Gen. 32. 20. 4. Jacob Patriarcha, occursum sibi fratrem
Esau offendit & armatum, formidans: hoc
consilium suscepit; Placabo illum muneribus, que
precedunt: & postea video illum. Major natu-
frater noster Christus, idemque Judex omnium,
occur-

occurret sine dubio nobis in articulo mortis, & in fine mundi, nec aliter quam offensus & iratus, & omni eum militia cœli comitante. Præoccupans est ergo, & placandus in munib[us], adventus, atque occursus ejus.

5. Non est autem parcendum, seu parcere
gendum cum fratre isto, natu maximo, atque
dignissimo: sed ad pecorum greges, etiam filii,
etiam uxores, etiam dilecta omnia addenda sunt:
talibus enim hostiis promeretur Deus, & frater no- *Hebr. 13. 16.*
n[on] eis redditur placatus, omniumque offensa-
rum obliviscitur.

6. Idem Jacob senex, expediens filios suos
repetito in Aegyptum, ubi dominabatur Vir
(Joseph) parum benevolus, ut videbatur, fratri-
bus suis, sic eos alloquutus est. *Si sic necesse est, Gen. 43, 11.*
icitate quod vultis. Sumite de optimis terræ fructi-
bus in Vasis vestris, & deferete Viro munera: sed &
tutrem vestrum minorem tollite, & ite ad Virum.
DEUS autem meus omnipotens, faciat vobis eum
placabilem. Sic faciat omnis anima, sic faciat
Anima mea: & omnibus diebus vitæ suæ, sata-
git placabilem sibi facere Dominum JESUM
Christum Judicem, venturum judicare vivos, &
mortuos, & seculum per ignem.

7. Hæc quoque fuit prudentia Abigail Ma-
thonæ, uxor Nabal: quæ sentiens meritò offen-
sum, & ad vindictam festinum Davidem, provo-
catum aspero responso stulti Viri sui: festinavit
occurrere illi cum opportunitis munib[us], sa-
cientissimâque oratione, & supplicatione eum
relinquit, atque placavit: adeo ut David ipse de-
lestatu[us] fuerit placatione illius valde opportu-
na, dixeritque ad illam. *Benedictus Dominus*
Deus

272 Ex. II. Christus D. Iudex placandus munerib.
Ex. III. C.

2. Reg. 25.32. Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum: & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu que probabuisti me hodie ne irem ad sanguinem: & uicissem me manu mea.

8. Sic & Dominus noster JESUS Christus, antequam veniat hora Judicii ejus, gaudet occum sibi, obsistique furori irae suae, & poni murum, ac saltem sepem, ne mucro ejus ad usque intercessionem deserviat in impios. Quoniam non gaudet Dominus super impiorum perditione, sed ut magis convertantur a viis suis, & vivant in misericordia ejus.

9. Offerenda sunt igitur Domino munera placationis: quibus ille libenter placatur, & parat irae suae. Eiusmodi est Munus Cordis contriti atque humiliati; Munus Sacramentalis penitentiae, atque fructuum eius dignorum: Munus Eleemosynarum, quibus redimuntur peccata, & extinguitur ignis vindictae Dei, paratus in exterminium: Munus etiam afflictionis externa per jejunia, castigationes, vigilias. Super omnia vero ista, Munus Sacrosancti Sacrificii: Munus quoque Zeli Animarum, & extractionis earum peccatis, & a potestate demonum. Munus denique condonationis injuriarum acceptarum; dilectionis inimicorum, & beneficentiae exhibita, cumulataque super caput malefactorum, & male nobis affectorum.

10. Istiusmodi munera nunquam excident de manibus tuis, si cupis nec apparere in spectu Domini, atque judicis tui, vacuus; nec obtainendae apud judicem veniae inopportunitus; manet enim sententia Domini, *Dimitte, & mittetur vobis: diligite inimicos vestros, benefac illis*

Matt. 5. 45.

Ex. III. Christus Judex placandus Judicio Sc. 273

his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos.
Ut sitis filii Patris vestri, qui facit solem suum oriri
super bonos & malos, & pluit super justos & inju-
sos. Vide infrà Exerc. 4. &c.

P R A X I S.

Fac nos quæsumus Domine JESU Christe, Judex
vivorum & mortuorum future, judicium tuum
prevenire muneribus tibi gratis: ut eorum exhibi-
tione opportuna placatus, misericordia tua potius,
in vita, & morte, patrocinii sublevemur, quam sup-
plicii æternis deputemur. Qui vivis, &c.

EXERCITIUM III.

Christus Judex placandus Judicio nostri
prævio.

1. Dominus noster JESUS Christus constitutus est AET. 10. 42.
a Deo, Judex vivorum, & mortuorum:
tui omnes Prophetæ testimonium perhibent.

2. Hic, ut placatus in horâ judicii nostri a nobis
inveniatur, imò ut etiam in nobis non inventiat
quod judicet, placandus, aut potius præoc-
cupandus est a nobis, nostrâ ipsorum dijudica-
tione prævia.

3. Consilium hoc & modum placandi Judi-
cem nostrum, diserte trædidit Apostolus Domi-
ni dicens; Si nos ipsos judicaremus, non utique i. Cor. II. 31.
judicaremur.

4. Hoc Consilio usi sunt passim Sancti cum
optimo successu: Uſus est Beatus Job: cuius
sunt illa verba. Quis mihi tribuat, ut cognoscam, Job. 28. 3.
& inveniam Deum, & veniam usque ad solium
eius; ponam coram eo judicium, & os meum replebo
K.P.Druzb. Op. V. incre-

274 Exerc. III. Christus Judex placandus

increpationibus, ut sciam verba quæ mihi respondeantur
Et intelligam, quid loquatur mihi. Quibus verbis Sanctus Vir, & optat & statuit, se esse judicari
coram DEO in hac vitâ, ne in morte, vel post mortem judicetur à Deo: & præterea modum
præmixtum hujus Judicii, à nobis, de nobis faciendi, suggerit: & insuper fructum, sive affectum
hujus prævii judicii sui subindicat, illum ipsum; quem supra Paulus indicavit: de quo
fructu idem Job alibi sic affirmat: *Judicare coram Deo: Et expecta eum: ut scilicet te absolvat,*

Job. 25. 14. *quoniam non punit, neque judicat Deus bis in Nabum. 1. 9.* id ipsum: neque consurget tribulatio duplex a Domino.

5. David quoque hunc sui judicandi modum usumque & ipse habuit, & nobis proposuit
Ps. 118. 121. & fructum simul commendavit. *Feci judicium, Et justitiam Domine: non tradas me calumniantibus me: & alibi: Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam Domino: Et tu remisisti iniuriam peccati mei: pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Idem facit in psalmo illo

Ps. 50. *suæ pænitentiæ pleno, cum sic orat. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, &c. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, Et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, Et c.*

6. Similibus exemplis abundat Sacra Scriptura, potissimum in Prophetis: sed ille etiam Evangelicus publicanus, norma esse potest hujus tum judicii, tum accusationis sui coram Deo, tum obtentionis venia à Deo.

7. Sit ergo tibi inter familiaria, & stata, & feria exercitia, praxis hujus judicij tui ipsius, quo
Judicium

pondentibus veris judicium Divinum, tecum ab eo alioqui faciendum, ita prævenias; ut simul etiam præpedias, judicare queaboles. Hac vel simili methodo.

vel poli 8. Reduc 1. Te ipsum ad te totum quantus modum quantus es: & adduc ad tribunal Dei veluti jūnōnis, aut judicium tui apparantis, sive ex p̄fusive afflantis. 2. Produc te ipsum in medium coram illum Deo, & coram Universâ militiâ Sanctorum ejus. Cogitatio & memoria tua, recenseat, & accuset, seu objectet tibi omnia peccata tua. 4. Conscientia tua veluti convicta, fateatur facta omnino esse. 5. Suffundatur pudore vultus tuus, & confusio cooperiat faciem tuam. 6. Declinet præ verecundiâ in terram fixi oculi, instar publicani. 7. Ratio præstet officium judicis, te ad poenam promeritam damnans. 8. Timor compedium instar. 9. Dolor, & Detestatio veluti carnifex: cor, & voluntatem cruciabit, & conteret. 10. Lachrymæ, gemitus, tunsio respectoris, genuflexiones, incurvationes, manus extensiones, ac elevationes, sint pro sanguine. 11. Proposita efficacia, & norma sati- ciendi, sint loco executionis, ac emendationis, ad tempore, & absque dilatione præstandæ. 12. His peractis; sententiam tuam, à te contra latam Deo per manus Angeli tui custodis offices. 13. Interim misericordiam, & indulgen- tam ab eo postulabis. 14. Et ad eam efficaciūs potinendam, exercebis aliqua opera pia, quibus unia ex Ecclesiæ thesauro adjuncta sit. 15. Allegabis, & aliquos titulos, ob quos tui miseri- tibique parcere Dominus debeat, &c.

9. Poteris hoc prævium Judicium tui, sic quoque instituere: ut statuens te coram Judice

276 Exerc. III. Christus Iudex placandus

Christo Domino, in Solio judicii residente, tanquam Salomone Rege sapientissimo, ac justissimo, audias ab eo enumerationem, atque etiam discussionem omnium tuorum cogitatum, dictorum, commissorum, seu operum, omissionum, imperfectionum: Tunc advertes evidenter, quia nullus pñè, aut planè actus tuus, mundus à sorde: & quia quasi pannus menstruæ, universæ justitiae tuæ: ceciderunt quasi folium universæ: & iniquitates tuæ quasi ventus abstulerunt te, neque stare coram judge finis Hominis sinunt: tunc etiam advertes, qualitate proferri debeat à judice justissimo sententia & simul quæ te maneat pro omnibus pñis. Hic etiam intelliges quomodo, etsi tibi innocens videaris, revera tamen innocens non sis: quomodo etsi tibi nihil (fortè) conscius sis, in hoc tamen justificatus non sis, quando qui te iudicat Dominus est: cuius oculi, super solem, mundi lucidiores sunt, considerantes vias hominum absconditas partes: tunc etiam oculis tuis vides, quomodo ostendet tibi Deus Iudex, quætas habeas iniquitates & peccata: & quod nemementum quidem vitæ tuæ immune sit à sorde: quod sicut in sacculo adnumeratas habeat Dei iniquitates, immunditiasque tuas. Hic demum circumspicies, quid te oporteat in præsentis lane & vitâ facere? quæm non altum sapere, sed mere: quæm obliisci præteriorum, & quanto sunt, extendi verò ad ea quæ sunt prius: quomodo oporteat te æmulari Charismata meliora: quomodo dicere, & facere oporteat ejusdem Davidis spiritu & conatu, vociferari

Job. 13. 23.

Deccav cora te feci. Contra te Contra te contra te tristis casti. tuam imam delegisti. tatem, o pretiandi

Pf. 16. 11.

in auribus Dei ; Peccavi Domine : peccavi Domine, & malum coram te feci : parce peccatis meis, & dimitte universa delicta mea. Si hoc qualecunque ac imaginarium tantum iudicium Dei de te factum, coangustabit te : quid putas faciet illud verum, illud in re ipsâ peractum : sed imaginarii judicii experientia devota, salutem, & pénitentiam operatur: illud autem reale & verum, æternæ damnationis initium, imò & damnatione ipsâ gravius est.

10. Ergo dum tempus habemus operemur opera salutis: reducamus nobis Deum judicem trebò in memoriam: ponamus, nunc quidem nostrum de nobis iudicium coram ipso: nunc i innocèrè nos ipsos coram iudicio ejus: aliquando ille nostrum de nobis contra nos iudicium de sis: in hoc tretumque audiat: aliquando autem nos illius i te iudicari de nobis iudicium exposcamus, audiamus, perem, mudi tractemus. Verè enim dictum est, à Magno dominum Gregorio. Sæpè melius scrutamur conscientiam ilis tuis vostram orando, quam inquirendo.

P R A X I S.

Deccavi Deus meus, & Pater meus: in cælum, & coram te. Peccavi tibi soli, & malum coram te feci. Peccavi contra Te Deum trinum & unum. Contra te Patrem æternum, qui me de nibilo creasti. Contra te Fili Dei, qui me sanguine tuo redemisti: contra te Sanctiss. Spiritus, qui me in Baptismo sanctificasti. Contra te Sanctissima Trinitas, quæ mihi tuam imaginem impressisti, & tibi in me habitaculum oporteat delegisti. Peccavi Deus meus contra tuam dignitatem, ob quam infinitè amandus, estimandus: appetiandusque fuisti. Peccavi contra tuam Bonitatem,

278 Exerc. III. Christus Iudex placandus

tem, quā te impendisti ad mihi benē jugiter faciendum.
 Peccavi contra tuam Charitatem, quā me gratis dilexisti. Peccavi contra tuam Misericordiam, qui
 mihi piissime, peccatorum millies miliena millia, remisisti. Peccavi contra omnipotentiam tuam, qua
 me juvando, mihi cooperaris in omnibus que facio.
 Peccavi contra Perfectiones tuas, eas concilcando,
 ut meam sequerer, & implerem perversam Voluntas
 tem. Peccavi contra Te Deum meum, Patrem meum,
 Regem meum, conditorem, ac Dominum meum, Pa
 storem & Rectorem meum, Magistrum meum, Pro
 tectorem, Benefactorem, Redemptorem meum: omni
 sumnum, ultimum Bonum meum. Peccavi contra
 beneficia tua, quæ mihi summo Amore contulisti.
 hoc nomine; peccavi etiam in Cælum, quod nu
 illuminat, in terram quæ me sustinet, & alit, in om
 nes creaturas, quæ mihi jubente Te serviunt: in San
 tos Angelos, qui me custodiunt: in proximos meos
 qui mecum communio nem Naturæ atque Gratia ha
 bent: in Corpus, & Animam meam, quæ à te DEO
 meo condita, & mihi in usum donata sunt. Peccavi
 in ipsum lumen Rationis, atque Fidei, cui rebellis fui.
 Peccavi in Gratiam tuam, quam impedivi, destruxi,
 perdidii: in Spiritu Sancti dona, quæ abjeci, in Vi
 tutes, quas delevi, aut inquinavi. Et in his tibi
 Deo meo Soli peccavi: quia istæ injuriæ, Tua sunt
 injuriæ. Neque solùm contra te peccavi, sed etiam
 coramte, ô Domine DEUS meus. Peccavi coram
 tuâ Sapientiâ, quæ me aspiciebat. Coram Charita
 te, quæ mihi indulgebat. Coram liberalitate,
 quæ me ditabat: coram ipsâ omnipotentiâ quæ me,
 ut Prima Causa, in peccaminosis operibus (non tamen
 in peccatis) adjuvabat: quo factum est, ut non tan
 tum contra te, non solùm coram te, sed etiam ipso

Te peccaverim, & ipsum Te in peccatis laborare feci. O me cæcitate ipsâ magis cæcum: atque ipsâ perversitate magis perversum: qui non attendi contra quem, coram quo, & per quem peccabam! O DEUS, ô Pater æterne, jam non sum dignus vocari filius tuus: non sum ipso Nomine Hominis, ipso esse, quod habeo dignus; siquidem peccavi in te, qui illud mihi dedisti. Mallem, Deus meus, mallem & malo, millies non esse, quam te offendisse, quam te vel unico peccato amplius offendere. Parce Domine, & dimittit quod feci: contrate, & coram te, ut elucescat infinita bonitas, & inexhausta misericordia tua, tot tantarum injuriarum millia condonando, & me à tantâ miseriâ liberando. Parce Domine servo, propter quem non pepercisti Filio. Parce ingrato, cui propter me Filius factus est gratiosus & gratus. Accepta penam, & mortem, quam luit Filius pro abortuenda eâ, quam ego merueram, & in æternum luitus eram, tam vilis, quam nequam servus tuus. Tunc, ego te Deus meus in æternum laudabo, & misericordias tuas in æternum cantabo, &c.

EXERCITIUM IV.

Christus Judex placandus neminem judicando, censurando, condemnando.

1. Dominus noster JESUS Christus constitutus est à DEO judex vivorum, & mortuorum; cui omnes Prophetæ testimonium exhibent. *Act. 10. 42.*

2. Omnes ergo nos manifestari oportet ante tribunal Christi: ut reddamus rationem ei de omni cogitatu, & facto, & verbo otioso, quodcumque locuti fuerimus in hâc vitâ: & ut

280 Exerc. IV. Christus Judex placandus neminem
recipiat unusquisque à Christo , prout gessi
in proprio Corpore, sive bonum, sive malum,

3. Contra hoc Judicium Christi decreto-
rium, ac finale, non est Consilium, non Sapien-
tia, non fortitudo, non scientia, non dignitas,
non majestas, non fraus, non dolus, non fuga,
non latebra, non ullum Privilegium aut substi-
tutio, aut exceptio, aut condonatio. Sed omnis
status, omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio,
omnis dignitas, magnus atque pusillus quisque,
comparebit in propriâ suâ personâ: & unusquis-
que proprium suum onus portabit, uniuscujus-
que liber vitæ atque conscientiæ cum omnibus
arcaniis arcanissimis, in luce & Oculis Dei, & An-
gelorum, & Hominum & Dæmonum erit: o-
mniumque censuram subibit, nullâ se se absconde-
nente actionum circumstantiâ, & conditione,
nullâ non fubeunte æquissimam, exactissimam-
que ponderationem.

4. Propterea illud tempus Jūdicii vocatur
Prophetis, Dies Iræ, Dies calamitatis, dies mi-
seriæ. Dies amara valde, dies furoris Domini.
Dies vindictæ, in quâ omnis fortis tribulabitur, &
omnis sapientia devorabitur, & omnis superbia
confundetur, & omnia abscondita revela-
buntur.

5. His tamen omnibus ita se habentibus
reliquit piissima Bonitas atque Misericordia Dei.
Creaturis suis, hoc est, misellis hominibus, vias
& modos, quibus non solum lenire, ac mitigare
(quod satis superque multum & magnum esset)
rigidissimam exactionem Judicii Divini: sive
illius; quod singulariter cum singulis in Articulo
mortis peragit Christus : sive illius; quod uni-

versalitate
lis, in
Deus H
atque il
aditum
6.
quod M
Dei-H
Judicis
Judex,
matè d
Nolite
enim ju
mensu

7.
optabi
subitur
simul J
venire
Judex

8.
imo &
nem j
qui fa
sto, ex

9.
jusqu
evade
merit
facilit
qui af
canti
tem à
Verit

versaliter cum omnibus, simul tamen cum singulis, in fine Mundi peraget idem Dominus, & Deus Homo Iesus: verum etiam præoccupare, atque illud excludere, & efficaciam ei præripere, aditumque, & jus adimere liceat.

6. Quod non inventum, neque pium aliquod Meditamentum hominum, sed ipsiusmet Dei-Hominis, ipsiusmet Veritatis; ipsiusmet Judicis assertum, & promissum est. Ipse enim Judex, & ipsa simul Veritas est, ille, qui tam affirmatè dicit: *Nolite judicare: Et non judicabimini. Nolite condemnare Et non condemnabini: In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini. Et in quā mensurā mensū fueritis, eādem remetietur vobis.*

Luc. 6. 38.

7. Quid his clariùs, quid affirmatiùs, quid optabilius, Judicium illud, extremè decretorium subituris, dici potuit; *Quod nisi ipsa Veritas, & simul Judex diceret, vix fidem inveniret, vix invenire deberet.* Ettamen qui hæc dicit, Veritas Judex est.

8. Duo ergo patent nobis Judicis placandi, imo & judicii evitandi Modi, ac Viæ. 1. Neminem judicare. 2. Neminein condemnare. Hæc qui facit, à Judicio Christi, ipso stipulatore Christo, exceptus atque exemptus est.

9. En quanta facilitas, quām in Manibus cuiusque nostrū posita est facultas declinandi, evadendique Divinum Judicium! Si humana temeritas, nolit, vel oblivisci, vel contemnere hanc facilitatem atque facultatem. Judex est ipse, qui affirms, & promittit omni neminem iudicanti, neminemque Condemnanti, immunitatem à suo iudicio. Et credit hoc, confiteturque Veritatis Judicis dictum ac promissum, negligit

S 5

tamen

282 Ex. IV. Christus Judex placandus neminem &c.
I. V. C.
tamen, & contemnit, & insuper, ac sus deque
habet, humana ingratitudo, atque temeritas.

10. Quid vobis faciat ultra, aut amplius,
Clementia Divina ô Mortales! Tantine vobis
est rigor ille rigorosissimus Judicii Divini, ut
pluris vobis, & vestræ libidini sit, judicare prox-
imum, censurare, condemnare, & ob id intolera-
bile Judicium subire, quām abstinentia ab alio-
rum Judiciis ac Censuris, & interea à vestro co-
ram Christi judicio immunes evadere, atque sa-
lutis æternæ possessionem pānē gratuitō adire?

11. Aut ergo negate, atque non credite Ver-
bum Judicis Veritatis, promittentis non judican-
tibus alios, non Judicium suum: aut si ita lubet;
in alios usurpare judicium iniquum, lubeat etiam
subire judicium Dei, sine Misericordiâ severis-
simum.

P R A X I S.

Domine JEsu Christe, Judex Vivorum & Mor-
tuorum à Deo Patre constitute, qui ad decli-
nandum quantumvis indeclinabile Judicium tuum,
facilem, apertamque viam nobis reliquisti, & osten-
disti; si nimirum neminem proximorum nostrorum,
iniquè judicare, censurare, & condemnare presuma-
mus. Da quæsumus nobis per gratiam, misericor-
diamque tuam, ita benigno, & mansueto corde, ani-
moque semper abundare; ut proximorum nostro-
rum, neminem in suâ Vitâ, in factis, moribus, inten-
tionibus, ullisque aliis circumstantiis, dijudicare, at-
que multo minùs condemnare, ad aliosvē proximos
traducere audeamus.

EXER-

EXERCITIUM V.

*Christus Judex placandus Debitorum Con-
donatione.*

Dominus noster IESUS Christus constitutus est à Aet. 10. 42.
Deo Judex vivorum & Mortuorum : cui
omnes Prophetæ testimonium perhibent.

2. Proinde, quicunque Hominum, sese, aut
viventibus, aut mortuis accenset, idem ut se ju-
dicandis à Domino JESU Christo accenseat ne-
cessitatem habet.

3. Excipit tamen Divina Judicis Christi be-
nignitas ab isto censu nonnullos, quos, nisi no-
lent ipsi, immunes esse, ac fore, à sui severitate,
periculositateque Judicii pronunciat.

4. Hujus pronuntiationis tenor, tam fami-
liaris, quam graphicus, explicatusque est Domi-
no nostro: ut fere vix aliud quidquam suorum
documentorum, præceptorumque, crebrius,
diligentius, efficaciusque fidelibus suis suadere,
edicere, præcipere studuerit.

5. Probaturus Dominus, non se venisse, ut
observet legem, sed potius ut perficeret, atque
impleret; demonstravit hoc variis exemplis,
præceptisque, & Consiliis constitutis: ac in his
etiam dixit, atque dixit hunc in modum; Audi-
tis; quia dictum est; Diliges proximum tuum, &
odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis; Mat. 5. 44.
Diligite inimicos vestros: benefacite his qui odi-
runt vos, orate pro persecutibus, ac calumnian-
tibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in cælis est.
Hic Dominus, inimicorum dilectioni atque in-
juriarum condonationi promittit sortem filio-
rum

284 Ex. V. Christus Iudex placandus Debitorum

rum Dei. Optando utique Privilegio , atque
præmio : iis congruo ; qui in dolem Patris cœ-
lestis referunt, Facientis solem suum oriri super
bonos & malos, &c.

6. Rursum autem eidem amori inimicorum,
atque condonationi debitorum, seu injuriarum,
offensarumque , idem Dominus noster promit-
tit vicissim dandam à Deo remissionem pecca-
torum. Sic enim nos precari Deum pro obti-
nendâ ab ipso veniâ peccatorum, seu debitorum
nostrorum jubet ; *Dimitte nobis debita nostra;*
sicut tu nos dimittimus debitoribus nostris: & addit
mox ; *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum,*
dimittet tu vobis Pater vester cœlestis delicta vestra;
Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester
dimitte vobis peccata vestra. Grande proflus
etiam hoc privilegium, atque præmium condo-
nationis offensarum, atque dilectionis inimico-
rum : utpote à cuius vel præsentia, vel abser-
tiâ in nobis, dependere velit Pater noster cœle-
stis, remissionem, vel retentionem peccatorum
nostrorum.

7. Sed addit adhuc Dominus aliquid ; quo
remissionem injuriarum , & vindictæ oblivio-
nen, inimicorumque dilectionem, nonminus,
quām per supradicta, nobis commendat. Cum
enim dixisset, *nolite judicare, tu non judicabimini;*
nolite condemnare, tu non condemnabimini; si-
tum subjecit ; *Dimitte tu dimittemini :* date
dabitur vobis : quod idem est, ac dicere : *Dimi-*
tite hominibus, & dimittemini à Deo : date ve-
niā hominibus , & dabatur vobis venia à Deo:
eadem quippe mensura, quā mensi fueritis, remetie-
tur vobis : quin imo mensuram bonam, confertam,
tu consol

Luc. 6.38.

Ex. V. Christus Judex placandus Debitorum Sc. 285

*& coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum
vestrum.*

8. Ex his omnibus clare sequitur; condonationem offendatum, depositionem vindictarum, dilectionem inimicorum, atque persecutorum, esse præsentissimum efficacissimumque medium emolliendi severissimum judicium, quinimò & evadendi illud ipsum, atque placabilem, & benignum reddendi etiam judicem ipsum Christum. Impossibile est enim non stare firmam ejus professionem; *Dimittite, & dimittemini.*

9. Quicunque ergo judicem Christum, ejusque judicii severitatem timemus: ac sanè omnes meritò, ac etiam plusquam meritò timere debemus; (*in multis enim offendimus, & judicem nostrum exasperavimus omnes:*) apprehendamus hanc Domini judicisque ipsius sententiam. Dimittamus ex corde debtoribus nostris debita eorum singula atque omnia: ut etiam judex noster dimittat nobis debita nostra, pariter singula & omnia: ut possimus fiderenter judici nostro dicere: *Fecimus Domine quod jussisti, fac & tu quod ex pietate tuâ promisisti.*

Jas. 3. 6.

P R A X I S.

Domine JESU Christe, judex vivorum atque mortuorum in futuro, pacis autem, & charitatis amator, & custos in præsenti: da omnibus inimicis nostris, pro quibus tuam deprecamur clementiam, & quibus omnem propter te condonamus ex cordibus nostris offendam, pacem, charitatemque veram: & tam illis, quam nobis, cunctorum remissionem tribue peccatorum: nosque ab eorum insidiis potenter eripe: & in tui formidabilis judicii die, nostri misericordia

286 Exerc. VI. Christus Judex placandus voluntaria
cordissimā tuā pietate miserere. Qui vivis & re-
gnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus &c.

EXERCITIUM VI.

Christus Judex placandus voluntariā expia-
tione peccatorum.

Act. 10. 42. Dōminus nōster JESUS Christus constitutus est à
DEO, judex vivorum & mortuorum, cui o-
mnes Prophetæ testimonium perhibent.

2. In hoc judicio suo Dominus ac Judex no-
ster, reddet unicuique secundūm opera sua, quā
gessit in corpore isto: seu in hujus vitā mortalī
decursu.

Ps. 17. 28. 3. In hujus judicii die tribulabitur omnis
fortis: omnis oculus superbus humiliabitur, omni
consilium à sapiente recedet, & omnis gloria glo-
1. Macc. 2. 62. riosi viri erit quasi sterlus, & omnis cythara, &
tibia, & canticum voluptatis vertetur in luētum,
& mærorem, & tristitiam. Tunc quantum quis-

Apoc. 18. 7. que glorificavit se in deliciis, tantum dabunt eitor-
mentum & luētum. Sed super ista omnia, hor-
ribilis erit tum, vultus unus Judicis Dei, atque in-
enarrabilis, intolerabilisque forma, & rigor ex-
minis, ac judicii ejus.

Luc. 23. 30. 4. Tunc omnis pax, & spes, & fiducia, &
consolatio, recedet ab impiis quibuscumque:
tunc clamabunt montibus, cadite super nos, & col-
libus operite nos: si quomodo effugiant à facie
iræ Agni. Tunc justus vix salvabitur: vix opera
plena, opera salutis, opera approbationis inve-

1. Pet. 4. 18. nientur in eo: impius autem & peccator ubi que-
so erunt, aut ubi parebunt? Tunc Judex atque
simul vindicta Deus justias judicabit: & colla-

bit justos
lucernis
lone fie

5. F
manus L

omnia sc
gentis, l

super or
que sta
immutab

decretur
vindican

6. E

Vita (na
rel solat

hoster, c

super pe

misericor

non fit in

illorum d

7. Ve

tia, & ve

rorum

libeamu

ram ven

punitio

animos

dit ab i

Quare q

discussum

matum,

non amp

onsurge

8. It

bit justos, sicut colari solet aurum: scrutabitur in lucernis etiam Hierusalem: & quid cum Babylone fiet?

Mal. 3. 2.

5. Et quid multa? Horrendum est incidere in *Hebr. 10. 31.* manus Dei viventis, Dei omnia cernentis, Dei omnia scruntantis, Dei ex omnibus rationem exigentis, Dei omnia dijudicantis, Dei extremum super omnia, singulaque Decretum ferentis, atque statuentis. Decretum quod nunquam immutabitur, decretum cui nemo refragabitur, decretum cuius executrix erit justitia æternum vindicans.

6. Et estne aliquod homini misero hac in Vitâ (nam in futurâ est nullum) vel subsidium, vel solatium? Est utique: neque enim Deus, noster, cuius natura bonitas, & qui non gaudet super perditione nostrâ: reliquit nos absque misericordiâ suâ, dummodo illa apud homines non sit in neglectu, & non corrumptatur cordis illorum duritiâ, & impoenitentiâ,

7. Verbo; *Faciamus fructus dignos pœnitentie, & voluntaria corporum animorumque nostrorum castigatione nostras iniquitates collibeamus, restringamusque: ut simul etiam ram venturam judicis nostri restinguamus, & punitione punitionem prævertamus.* DEUS nam non punit bis in idipsum, & non prodit ab illo duplex vindicta, aut tribulatio. Quare quidquid ille invenerit à nobis in nobis discussum, dijudicatum, reprehensum, condemnatum, castigatum, punitumque: super hoc non amplius adducet vindictam suam, neque confusget ab eo duplex tribulatio.

Luc. 3. 8.

Nab. 1. 9.

8. Ita suadebat olim Deus per Prophetas: suadet

288 Exerc. VI. Christus Iudex placandus voluntaria
suadet nunc quoque per servos suos: ut nimi-
rum omnes ubique pænitentiam agant, & à fu-
perventurâ irâ fugiant: & convertantur ad Do-
minum DEUM suum, à viis suis pessimis, in
jejuniis, & vigiliis, & planctu: in amaritudine,
in cinere, in cilicio, & facco: in lachrymis,&
fletu, & contrito, atque humiliato corde: in
patientiâ, in castitate, in sobrietate, & oratio-
nibus, atque postulationibus, in gemitu, &
clamore cordis, & prostratione atque humili-
tione multâ coram DEO.

9. Sic faciebat David: qui lachrymas sus
faciebat sibi panem diebus, atque noctibus,
qui potum suum cum fletu miscebat: cuius genua
infirmata sunt ab jejunio: qui cinerem tanquam pa-
nem manducabat: qui singulas per noctes lachrymu-
suis rigavit & lavit lectum suum.

10. Sic faciebat & Paulus: cuius illa est de
semetipso confessio, simul autem & nostra ex
ipso instructio: ait ergo: *Nihil mihi conscientum,*
sed non in hoc justificatus sum: qui enim judicat me,
1. Cor. 4. 4. Dominus est. Ego igitur sic curro, non quasi in
incertum; sic pugno non quasi aërem verberans: sed
castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ut
forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.
Sic, universim loquendo, fecere omnes quo-
quot serio salvi esse voluerunt: qui ex hac vita
quoad prævalebant, exire sine omni obliga-
tione tam culpæ quam pœnæ coram Deo suo,
ad judicium ejusdem migrare studuerunt.

11. Itidem & nos; quicunque salvari, & ju-
dicum misericors, atque mitius sustinere pos-
2. Cor. 4. 10. mortem volumus, *Mortificationem Domini nostri*
JESU Christi, tam in corporibus, quam in Animis

bus nostris jugiter circumferamus. Sive tribulamur a Deo ipso ita volente; sive a creaturâ quacunque, Deo permittente; omnia sustineamus: non tantum patienter, & æquanimiter, sed etiam hilariter, atque gaudenter. Subeamus insuper ipsi voluntarias afflictiones tum corporis & membrorum, tum Animæ & concupiscentiarum atque passionum ejus: ut mortificatos nos inveniens Iudex noster, non inveniat in nobis quod vindicet, ac puniat; inveniat autem quod condonet, atque coronet; siquidem patientia & pœnitentia opus perfectum habet: est que edictum Domini; ut in patientia nostrâ possideamus Animas nostras.

Jac. 1. 4.
Luc. 21. 19.

P R A X I S.

Domine JESU Christe, juste ac supreme Iudex, omnisque ultionis Domine, te ego minimus servorum, ac maximus debitorum, reorumque tuorum servus; oro, atque obsecro, ut facias mihi donum pœnitentiae remissionis, ante diem strictissimæ rationis. Propter hoc enim, & castigo corpus meum, & in servitutem redigo animam meam, mortifico membra mea quæ sunt super terram, & animam meam in manibus meis semper custodio, subjicio etiam me paternis flagellis tuis, & non minus mala quam bona, gratarter suscipio de manibus tuis, ut hic ad plenum castigetur, expienturque peccata mea, castigeturque cor meum & nihil inveniat in me Vindex tua, quod jure severitatis suæ puniat: inveniat vero misericordissima Bonitas tua, quod clementer abstergat, & liberaliter remuneret. Placet Domine, placet hic ura, hic secari, hic expiari, hic emundari, ut ibi parcas, in æternum absolvias, in æternum salves.

V.P. Druz. Op. V.

T

EX-

EXERCITIUM VII.

Christus Judex placandus Misericordia.

Act. 10. 42. D^{ominus} noster J^{esus} Christus, constitutus est
Deo J^{udex} vivorum, & Mortuorum: cu
omnes Prophetæ testimonium perhibent.

2. Perhibuit quoque idem Testimonium
ipse sibi, quando hostibus suis disertè affirm-

Mat. 26. 64. vit: Verum tamen, dico vobis, amodo videbitis li
lum hominis sendentem à dextris, Virtutis Dei, &
venientem in nubibus cæli. Atque iterum dis-

Mat. 16. 27. pulis suis ait; Filius hominis venturus est in glori
Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet unic
que secundūm opera ejus.

3. Eundem Judicem Christum prædicavit &
indicavit Judæis Joannes Baptista, dicens illis de
Christo, hæc inter alia: Qui post me venturus es,
fortior me est: cuius non sum dignus calceamenta
portare: cuius ventilabrum in Manu sua, & per
mundabit aream suam: & congregabit triticum
suum in horreum: paleas autem comburet igni in
tingibili.

4. Hujus Judicis, & Animi & Judicij rigo
specialissimè mitigatur, quin & evitatur, Miseri
cordiæ, & Eleemosynæ operibus. De quo cùm
passim scripturæ sacræ attestantur, tum verò
ipsiusmet Judicis Ore hoc assertum habemus
valde luculenter. Sic enim ait; Cùm autem ve
nerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes An
geli cum eo: tunc sedebit super sedem Majestati
sua, & congregabuntur ad eum omnes gentes. Bi
separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat ova
separabit oves quidem à dextris suis
ab hædis.

Mat. 25. 3. ab hædis. Et statuet oves quidem à dextris suis
bedis.

hados autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possede paratum vobis Regnum, à constitutione Mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c. Amendico vobis, quandiu fecistis uni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis. Tunc dicet & his, quæ à sinistris erunt; Discedite à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Amendico vobis, quandiu non fecistis uni de minimis Dei, & ribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in suppli-
cium eternum: justi autem in vitam eternam.

5. Hic Dominus Imaginem Judicii sui plane exposuit omnibus intuendam: exposuit etiam Judicii formam, & decursum: exposuit insuper & ejus clausulam: sed quod maximè atten-
dendum est, exposuit causam Misericordis & Implacabilis Judicii sui, videlicet, exercita, vel neglecta, in egenos opera Misericordiae. Et iudicavit verissimè dictum esse illud suum; Verum tamen, quod supereft, date Eleemosynam, & ecce o-
mnia munda sunt vobis. Itemque illud; Judi-
cium sine misericordia ei, qui non fecerit miseri-
cordiam.

6. Ne quis autem Pauperes Christi Volunta-
rios, quos Religiosos dicimus putet exclusos esse ab hac fortunâ Misericordium à Domino indi-
cata: sciendum est, non tantum exclusos non esse, sed in tantum securos esse de benignitate Ju-
dicis Christi erga se: ut etiam suprà omnem for-
tem, futuri sint assessores Judicis, atque simul
cum eo reliquorum futuros esse Juges. Sic
enim ipse Dominus, tum affirmavit, tum promi-
git, dicens his, qui propter se omnibus relictis,

T 2

ipsum

292 Exerc. VII. Christus Judex placandus Sc.

Litani

Mat. 19. 28. ipsum secuti fuerant; Amen dico vobis, quod vobis qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius Hominis in sede Majestatis sue, sedebitis & vos, super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Quis satis estimet hanc felicitatem Pauperum Christi: qui in Judicio Christi, non solum ipsi de seipsis securi, verum etiam Assessores iudicantis & aliorum reliquorum Judices sunt futuri?

7. At hoc si cui arduum videtur, relinquere scilicet omnia propter Christum, & sic nudatum omnibus sequi Christum; apprehendat saltem misericordiam, & exerceat opera ejus quantum potest: ut veniat super eum illa Dominica beatitudo; Beati Misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Et illa etiam Davidica: Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperum: in die mala liberabit eum Dominus.

P R A X I S.

Domine Iesu Christe: qui de Cœlis ad terram, de sinu Patris, misericordia deducente descendisti. & Sanguinem tuum pretiosum, in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: nobisque per amorem ac frequentationem operum Misericordiae, in Nomine tuo exercitorum, accessum ad Misericordiam tuam patere fecisti; & insuper omnibus his, qui redistis suis omnibus, te pauperem pauperes secuti essent, confessum tecum in Judicio tuo promisisti; te humiliter deprecamur, ut in die Judicii tui, ad dexteram tuam audire mereamur, venite Benedicti: Qui vivis, &c.

LITA.

LITANIA

Seu

CORONA

Ad Christum D. Judicem placandum.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe Judex audi nos. Christe Judex exaudi
nos.

Ater Judicis nostri Deus. *Miserere.*

Fili Judex mundi Deus.

Spiritus sancte Judicis nostri, Deus.

Sancta Trinitas, in Christo Judex Mundi, unus
Deus.

Iesu Judex vivorum & mortuorum.

Iesu constitute à Deo Judex omnium.

Iesu in quo statuit Deus judicare mundum.

Iesu venture ad Judicium nostrum in nubibus
cæli.

Iesu venture ad Judicium cum virtute, & poter-
tate.

Iesu venture ad Judicium cum Angelis sanctis.

Iesu venture ad Judicium cum gloriâ, & Maje-
state.

Iesu qui resuscitare Judicandos, mittes Angelos
cum tubâ.

Iesu ad cuius Judicium congregabuntur omnes
gentes. *Miserere nobis.*

Iesu ad cuius tribunal omnes nos manifestari
oportet.

Iesu à cuius judicantis facie, fugiet terra, &
cælum.

Iesu à cuius vultu, impii volent montibus & collibus obrui.

Iesu qui in tuo Judicio separabis Oves ab Hædis,
Iesu cui ad Judicium venienti, Electorum selecti,
rapientur obviam in Aëra.

Iesu cui judicanti affidebunt judicantes, qui propter te omnia reliquerunt.

Iesu qui in tuo Judicio manifestabis confilia cordium.

Iesu qui in Judicio tuo illuminabis abscondita tenebrarum.

Iesu cui omne Judicium dedit Pater.

Iesu cui judici, de omni verbo otioso reddent homines rationem.

Iesu qui accepto tempore justitias judicabis.
Miserere nobis.

Iesu qui scrutaberis in lucernis judicii tui, etiam Jerusalem.

Iesu quem Judicem videbunt illi, qui te confixerunt.

Iesu qui in judicio tuo reddes omnibus prout quisque gessit.

Iesu qui Judicium recipies, ideo, quia causa tua velut impii judicata est.

Iesu in cuius judicio, justus vix salvabitur, impius autem ubi parebit?

Iesu qui in judicio electis dices: Venite benedicti.

Iesu qui in judicio, reprobis dices: Discedite maledicti.

Iesu qui spiritu oris tui, interficies impios morte secunda.

Iesu qui contra impios armabis omnem creaturam.

Iesu pr
in sen

Iesu qu
Iesu qu

Iesu qu
ctus
xterr

In die Ju
In die Ju

In die Ju
Christe
di no

Kyrie e
Kyrie e

Domin
Quia no
viver

Domin
Et clam

Domin
Et cum

Domi
dic

vorum E
distribut

secundum
num, siv

hominum
cordiam

quam F
vibi plen

Iesu

Iesu pro quo pugnabit omnis creatura contra
insensatos.

Iesu qui clades abyssum inferni cum damnatis.

Iesu qui electos tuos introduces in cælum.

Iesu qui Patri tuo trades Regnum, & illi subje-
ctus eris cum Beatis omnibus in perpetuas
æternitates.

In die Judicii tui: Parce nobis Iesu.

In die Judicii tui: Libera nos Iesu.

In die Judicii: Miserere nobis Iesu.

Christe Judex audi nos. Christe Judex exau-
di nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, Ave Maria.

Domine non intres in judicium cum servo tuo.

Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis
vivens.

Domine exaudi orationem meam:

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum:

Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.


Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, cui omne ju-
dicium dedit Pater in manus: ut sis Judex vi-
vorum & mortuorum, & discretor meritorum, &
distributor tam præmiorum, quam suppliciorum:
secundum hoc, quod quisque gessit in corpore, sive bo-
num, sive malum. Te ego vilissimus vermiculus, &
hominum postremus, supplex oro: tuam ut miseri-
cordiam mihi nunquam clausam esse velis, sed ante-
quam Judicii mei apud te hora adveniat, tribuas
mihi plenam indulgentiam, omnium tam culpæ, quam

T 4

pene

296 Exerc. I. De P. Parentis cum Deo

pænæ obligationum: propter omnium Sanctorum tuorum, & propter pretiosissimæ Parentis tue intercessiones ac merita; propterque tuam amarissinam Passionem, Crucem, & Mortem pro me, à te toleratam. Ut sic in hora judicii, te placatum, benignum, misericordemque experiens, consortio electorum tuorum aggregatus, tecum ingrediar ad possidendum Beatitudinis regnum æternum. In quo Tu, cum Patre, & Spiritu Sancto, vivis, & regnas, in Trinitate Deus, per omnia sœcula sœculorum Amen.



EXERCITIORUM

PARS X.

Erga DEI Matrem Virginem MARIAM.

EXERCITIUM I.

De P. Parentis cum DEO arctissimâ conjunctione.

1. Statue te coram Pretiosissimâ Parente Virgine MARIA.

2. Expende, quām arctis sit vinculis illigata affinitatis, & consanguinitatis, cum divinissima Trinitate. Est enim Filia Patris æterni: est Mater Filii Dei: est Sponsa Spiritus Sancti: est templum Sanctissimæ Trinitatis.

3. Est